



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Necessarias esse etiam Sanctis tentationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

cur non & nos tunc vellemus pugnare, quando nobis modicum tempus superest, ad coronas in cælo multiplicandas? Si tentationum & præmiorum momenta rectè inter se se conferre volumus, nimis exiguas dicemus esse quascumque tentationes, quæ in tantæ gloriæ transeunt perennitatem. Certè Theodorus Studita scribit, passiones huius temporis, quia non sunt conditionis ad futurâ gloriâ, diuinâ quadâ negotiatione commutari. Quem poenitet plumbum expendere pro auro? stipulam pro gemma? diuitem vult facere DEVS, quem finit incidere in calamitatem; gloriosum, cui vel in ultimo spiritu offert vincendi occasionem. Et sanè, *quàm diu in mundo viuimus, sine tribulatione, & tentatione esse non possumus*, ait S. Scriptor. Ac rursus: *Non est aliquis Ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, ubi non sint tentationes, vel aduersitates.* Non nesciunt hoc serui DEI, quia experiuntur.

Itaque ob immixtas tentationes, illi solùm scandalizantur, qui vias DEI ignorant; electi, teste Augustino, & ad ciuitatem DEI pertinentes, gaudiû percipiunt, propter jus, quod se ad illius possessionem habere, inde intelligunt. Sciunt enim, vt ait Bernardus, per multas tribulationes oportere nos intrare in regnû calorum. Sed neque illud nesciunt, Dominum DEVM esse cum homine in tribulatione, & iuxta hos, qui tribulato sunt corde. D. Paulus ad tertium vsque cælum raptus, prodigiosis tamen se tentationibus vrgeri sentiebat, stimulo carnis, & ab Angelo satanæ colaphizari. Nempe, vt D. Ambrosius obseruat, tentationes etiam perfectissimis, velut custodia quædam humilitatis adhibentur. *Sicut enim caro, quamuis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur; ita & anima, quantumuis perfecta, nisi assiduè salietur tentationibus, relaxatur.* Atqui est tentatio non medicina tantùm, sed etiam probatio. Qui enim in tentatione Deo seruit, seruus est utilis, & fidelis: neque iam mercenarius, sed quodammodo instar volonis, qui proprijs stipendijs militet. Ceteri, qui tunc tantùm sunt deuoti, quando illis bene est, & quando sunt in tranquillo, similes sunt ranis tantùm coaxantibus, quando serenum est cælum. *Confitebitur sibi, cùm benefeceris ei.* At Iob in medijs tribulationibus, sicut & Tobias, & ipse David,

Theod. Studita serm. 68. Rom, 8. 18.

Thom. de Kemp lib. 1. de Imit. c. 13.

III.

Aug. 4. de ciuit. cap. 7.

S. Bern. serm. 16. in Psal. 90. Act. 14. 22. Psal. 90. 15.

2. Cor. 12. 2.

S. Ambros. de 42. mansion. in del.

Eccl. 27. 6.

Zach 13. 9.

Sapi 7. 6.

Psal. 16. 3.

Psal. 48. 9.

Thom. de  
Kemp. l. 1. c. 3.  
de Imit.  
Christi.

Dominum suum laudauerunt. Itaque, ut ille ait, sunt tentationes homini saepe valde utiles, licet molesta sint, & graues; quia in illis homo humiliatur, purgatur, & eruditur. Omnes Sancti per multas tribulationes & tentationes transierunt, & profecerunt. Et qui tentationes sustinere nequiverunt, reprobi facti sunt, & defecerunt.

## IV.

S Greg. 7i  
Moral. c. 7.

Sed triplex est, DEVM, in tentatione & tribulatione, laudandi modus, seu gradus. Sunt, qui etsi non ament aduersis jactari, immò etsi horreant, & declinent; tamen potius ferre, ea patienter velint, quàm delinquere. Sunt, qui quidem haud appetant pati, tamen & patienter & libenter mala tolerant, in quæ inciderunt. Sunt denique adeò diuino amore incensi non pauci Sancti, ut DEI causâ mala omnia sustinere, etiam morientes desideratissimè concupiscant. Si enim, ut D. Gregorius docet, mens in DEVM forti tentatione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat; omne, quod affligat, requiem putat. Artium omnium diuinissima est, in aduersis gaudere.

S. Augustin.  
lib 10 Conf  
cap. 28.

Quod non potest, qui non intelligit, secundas res esse nobis plerumque aduersas; & aduersas esse secundas. Non ergo desiderantur aduersa, quia mala; sed quia bona est malorum patientia. *Quis velit molestias & difficultates pati?* ait S. Augustinus: *tolerari jubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat, amat, etsi tolerare amat. Quamuis enim gaudeat, se tolerare, manult tamen non esse, quod toleret.* Monet D. Thomas, non esse simpliciter appetendum,

Vide Iacob.  
Aluarez. Tõ.  
2. de exter-  
min. mali.  
lib. 1. p. 3. c. 2.  
S. Thom. 2 1.  
q. 1. a. 3.

tentari, sed hoc simul & vincere; quia victoria, propter fragilitatem nostram nimis ambigua est; præsertim si tentatio non sit tribulatio mera, sed etiam à carne, mundo, diabolo suggeratur; quæ tentationes sunt longè periculosiores. Vnde nemo sapienter petit desideratue, ut à carne, vel mundo, vel diabolo tentetur; quamuis in genere etiam (quod scilicet non sit supra vires à Deo suppeditatas) multi desiderent aliquid pro Deo suo pati. Id ergo quicumque desiderant, utique; nec Conditorem Gubernatoremque suam, neque iudicia eius iniquitatis accusant. Sciunt nimirum, castigationem esse diligentis; & cruces mille occasionem esse coronam imponere cupientis. Non odit, sed diligit, qui usque ad extremum halitum alterum perficit. Quid enim? An Christum Filium suum DEVS odit? aut Christus Patri suo

calu-